

lius passionem & mortem, Judæorum fraude Bibliis insertum. Sed aliena est conjectura, alibi à nobis discussa. Procopius vel Galatarum causâ quod in multis adhuc insanirent, prætermis- sum ab Apostolo, vel quod blasphemum videretur, erasum DEI nomen, existimat, sed & hoc minus solidum. Onkelos, Paraphrastes Chaldæus vertit; *Quia suspensus est ob peccatum, DEo invisum.* Ast non solum commissum flagitium, sed & ipsum supplicium, sive supplicii & mortis genus erat execrabile & invisum DEo, & maledictionis horrendæ speculum. Euse- bius Pamph. Demonstr. Evang. I. I. c. ult. Crucem appellat *non execrationis causam, sed execrationis trophæum*, Chrysostomus Tom. V. Quod Christus sit DEus, inquit; *Cruce signum erat, ma- ledicta mortis*; Et rursus; *maledictum symbolum Cruce.* Licet autem supplicium crucis Gentilibus (præsertim Romanis) pro- prium, apud Hebræos verò in usu non fuerit. Nam *apud hos strangulandi stantes strangulabantur, sed eorum, qui ob gravia peccata, puta idololatriam erant lapidati, corpora patibulo suspen- sa per aliquot horas erant ostentui populo, ut qui supplicio illo non interfuissent, eo conspectu à criminibus absterrerentur*, ut an- notat Grotius ad h. l. vide Num. XXV, 4. 2. Sam. XXI, 6. Ni- hilominus tamen dictum Mosaicum ad crucifixos quoque perti- net; quamvis enim non omnis, qui in ligno pendet, in cruce pendeat, tamen quisquis in cruce pendet, in ligno pendet. Vetabat autem DEus cadaver suspensum post occasum solis re- linqui in patibulo, addita hac singulari ratione. *Quia sit ma- ledictio DEi suspensus.* Non erant execrabiles DEo suspensi in ligno, quatenus illud mortis genus subibant, sed suspensio in ligno & mors illa crucis fuit signum & argumentum divinæ ex- ecrationis. Inter suppliciorum genera solum crucis suspendi- um execrabile pronunciaverat Deus, quia futuram Christi cru- cifixionem & maledictionem adumbrabat, cujusmodi ferè ty- pus etiam fuit ænei serpentis è conto vel perticâ suspensio Num. XXI, 9. Maledixerat, inquam, suspendio DEus, non tam pro- pter facinorosos olim, ut eos terreret & à sceleribus deterret, Deuter. XXI, 21. quam propter dilectum & unigenitum Filium suum,